



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 71. Diversa Principum judicia de electione Pontificis

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

tullimus. Omnia ejusdem opera in unum sæcul. XV.  
 volumen redacta Basileensibus literis An- A.C. 1458.  
 no Domini millesimo quingentesimo quin-  
 quagesimo primo excusa habentur. Il-  
 lius vero epistolæ Norimbergæ, Lovanii  
 & Lugduni typis impressæ exstant. Præ-  
 terea Joannes Gobellinus Persona, quem  
 ab epistolis habuit, res gestas Pii II. duo-  
 decim libris conscripsit, de quibus tamen  
 probatiores Critici pronunciant, quod ab  
 eodem Pontifice sub ficto Gobellini nomi-  
 ne compositi fuerint. Idem commenta-  
 rii postea Romæ Anno millesimo quin-  
 gentesimo octogesimo quarto, ac de novo  
 Anno Christi millesimo quingentesimo o-  
 ctogesimo nono in minori forma, tandem  
 vero Francofordiæ Anno millesimo sex-  
 centesimo decimo quarto *in folio*, ut vo-  
 cant, imprimebantur.

## §. LXXI.

*Diversa Principum judicia de electione  
Pontificis.*

Quamvis Æneæ electio non omnibus  
 Principibus æque probaretur, ni-  
 hilominus nullus erat, qui eam sibi gra-  
 tissimam esse, exterius significare dubita-  
 ret. Præprimis Ferdinandus Neapolis  
 Rex, cum Alphonsus ejus Prædecessor  
 parensque intimus esset Cardinalis Se-  
 nensis amicus, summum ostendit gaudium.  
 Francis-

Sæcul. XV.  
A.C. 1458.

Franciscus Sfortia Mediolanensium Dux, quamquam alium ad hanc dignitatem elevatum optaret, comperta tamen hujus electione omnibus suis subditis publicæ gratulationis festa celebranda indixit. Dux Mutinensis ob sui Ducatus investituram, quam hujus Pontificis opera a Friderico Imperatore obtinuit, eidem obstrictum sese profitebatur, unde accepti favoris memor nihil non egit, ut aucta Benefactoris sui potentia atque auctoritate ampliores sibi gratias deinceps polliceri valeret; hinc Ferrariæ festivos accendit ignes, Ludicras equestres pugnas instituit, nihilque ad lætitiæ, atque pompæ ostentationem prætermisit. Nec deerant suis partibus Mantuanus, Monferatensis & Salutianus Marchiones, aliunde summo Pontifici oppido propensi. Ast minus libenti animo Æneam Christi Vicarium audierunt Veneti atque Florentini, cum essent inveterati Senensium inimici, ac aliunde adeo interno suo odio imperare haud possent, ut etiam cuilibet Senensi, si quis forte solita formula: *Adjuvet te Deus, Venetum in platea salutaret, nonnisi ignominiose responderent.* Nihilominus suos quoque Romam legabant Oratores, qui neo-electum Pontificem venerarentur. Fridericus Imperator, cujus favore Piccolominæus ad Cardinalatum promotus erat, summa ani-  
mi

mi lætitia ejusdem exaltationem exce-  
 pit. Nec minore jubilo Hispaniæ Rex  
 Pio Pontificatum gratulatus est. Soli  
 autem Galli, Scoti, Dani, Poloni, Hun-  
 gari & Cyprii parum contenti videbantur.

Sæcul. XV.  
 A.C. 1458.

§. LXXII.

*Capranicæ Cardinalis Firmani  
 obitus.*

Cum celebrarentur exequiæ Callisti  
 Papæ, contigit Dominicum Capra-  
 nicam Cardinalem ex hac vita decedere.  
 Vir erat eruditione, rerum experientia,  
 ac morum integritate longe clarissimus,  
 qui etiam putabatur Callisto successurus,  
 ut nonnulli referunt Historici. Obitum  
 ejus omnes virtutis amantes plangebant,  
 & Gobelinus affirmat, quod integerrimam  
 duxerit vitam, qua cunctis, si minus ad  
 iram proclivis fuisset, optimum præbe-  
 bat exemplum. Posteritati reliquit lu-  
 cubrationes nonnullas, nempe *Introducto-  
 rium de Pontificatu regendo*, tractatum de  
 arte bene moriendi, & orationem ad Al-  
 phonsum Neapolis Regem, præter alia  
 quædam opuscula.

§. LXXIII.

*Mors Maphæi Vegii.*

Eodem anno Maphæus Vegius, qui Lau-  
 dæ Pompæi prope Mediolanum na-  
 Hist. Eccles. Tom. XXVIII.

Dupin. Bibl.  
 Script. Sæc.  
 XV. p. 45. to.  
 XII. edit.  
 N n tus Holand.